

Aculis, & pustulis ad cutem, temerarium iudicetur, si quis vel sanguinis detractio, vel purgatione noxiam materiam ad interna viscera reuellat. Alia autem reuulsione, quæ ad distantissima loca fit, vitur, quum ortum ignoramus, vel etiam si origo fluxionis sit cognita, vbi vehementer irruunt humores, dolorque ingens ex fluxione nascitur, quum. n. tunc ob dolorem vehementemq; impetum vniuersum corpus concitetur, necesse profectò est omnibus partibus succurrere, illarumq; impetum frangere; quod tunc potissimum fit, quum ad remotissimas partes humores ducimus. Ceterum deriuationis vsus est maximè in leuioribus, & inueteratis fluxionibus, quæq; sine dolore, aut certè cum paruo infestant, quamquam tñ etiam in his satius est prius reuulsiones tentare. Quòd si hæc vera sunt, vt certè sunt; errant illi profectò, qui nunquã in eo, qui pleuritide laborat, venę sectionem admittunt fieri in parte distantissima. Nam vbi vehementer fluxio vrget, quo pacto eã sistere poteris, nisi ad distantissima reuellat? quod est proprium huiusmodi fluxionum remedium. Sic enim Galenus undecimo Methodi scribit incipientibus inflammationibus reuulsione esse vtendum ad q̄ maximè remotissimas partes. Itaque si inchoante pleuritide in parte distantissima à costis venam secare oportet non ergo in cubito rectè secabis. Quòd si scribit Galenus pleuriticis cubiti vena secta in eodem latere iuari; rectè quidem id præcipit; quoniam spectat, quid postulet inflammatio ipsa, & humor, qui in venis partis affectæ continetur; nec aptius educi potest, quàm per propinquas uenas. At hoc non est fluxionum remedium; quibus via per distantissima loca paranda est: alioqui frustra tradita sunt ea præcepta de reuulsione ad distantissimas partes iam inchoantibus inflammationibus, si illis nunquam vitur. Dicant & illi, qui hanc tuentur opinionem, quur Galenus ad Glauconem fluxiones irruentes ad genua, excitantesque inflammationes coerceri iubeat sanguinis missione à cubito: quandoquidè receptum est, eodem authore, laborante vno crure, in alio tundendam esse venam. Sunt ergo distincta remedia fluxionum, & ipsarum inflammationum: nec semper vel soli inflammationi, aut vtrique pari auxilio succurrendum: sed aliquando soli fluxioni, quum illa scilicet vehementer vrget, reluctandum, aliquando verò ipsi soli inflammationi, quum iam restitit impetus fluxionis: nonnunquam verò vtrique malo pariter medendum: nimirum quum vtrumque æqualiter infestat. Quo casu nec propinquissima, nec distantissima vena quaerenda est; sed quæ ob mediocrem distantiam, & propinquitatem mediocriter reuellere, & affectæ parti succurrere possit. Quæ præcepta qui non intelligunt, monstra in hac re pariunt, mirificeque se torquent, vt suam de venæ sectione in pleuritide opinionem sophisticis cauillamentis, & authorum testimonijs nequaquam intellectis tueantur. Illud verò iam expendamus quid postulent fluxionis causæ. Postulant sanè quælibet aliquid, quod repugnet, Ete nim materia quæ fluxionis causa est ob copiam, requirit quod vacuet; quæ verò calida est, quod refrigeret; quæ tenuis, quod incrasset; acris, & mordax, quod acrimoniam, & mordacitatem retundat; quæ cacochymiam parit, quod purget. Sic pars vnde humor commouetur, vel vbi gignitur, suam medelam postulat propriam singulis affectibus, quorum causa illa fluxionum est author. Si enim ob intemperiem plurimum humorem, vel calidum, aut tenuem procreat, medendum erit intemperaturæ, hoc enim modo sanguinis profluvia inhibemus, & capitis dolores mulcemus, refrigerato hepate, testibus, & corde, à quibus calor, calidaque materia ascendit. Sic igitur caput refrigerabimus, si ex aestu, & idem calefaciemus, si ex externo frigore excitata fuerit illius vitio fluxio, & inflammatio naturalis. Quòd si pars affecta ob raritatem, vel calorem, vel dolorem, aut inanitionem, vel debilitatem, aut ob aliam cãm fluxiones admittat, erit ab illa remouendum, qd̄ mali causa est. Postulant quoq; sua remedia viæ, per quas fertur humor. Nam quum illæ adstringuntur, contrahunturq; aditum fluxioni, vel præcludunt, aut certè minus liberum concedunt. Ex quibus quidè patet, contra quas cãs pugandum sit. Sunt. n. illæ materia, & id, quod illam gignit, & commouet, uel agentè irritat, vel qd̄ recipit, & uia præbet. Nam aliæ, quæ prædictæ sunt his remotis, causæ esse desinunt; nec amplius vim aliquam obtinere possunt ad fluxiones ciendas, quamquam in cãrum inuestigatione illæ non minus suum locum, q̄ hæc obtineant: quibus medendo reluctari satis est. Iam verò quaerenda est materia medica, eundem beneficio liceat præstare quod ostendimus indicari à fluxione, illiusq; causis. Nam reuellentibus, deriuantibus, vacuantibus, incrassantibus, refrigerantibus, repellentibus, calefacientibus, dolorem sedantibus, adstringentibus, ei opus esse diximus, qui fluxiones cohibere, & illarum cãs rescindere velit. Quæ tertius scopus sequitur, qui materiam aptam, & idonea remedia doceat. Sumuntur porrò vniuersa auxilia à quatuor rerum generibus (quod etiam antea commemorauimus) ab his inquam, quæ assumuntur, geruntur, admouentur, excernuntur, retinenturq;. A quibus omnibus, vbi licet, & res exigat opem petere necesse est. Itaque si reuellere velis, singulos fontes excuties, & ex vnoquoq; trahes, quod eam vim habeat, quam quæris. Ac inter illa, quæ extrinsecus adhibentur, non deerunt auxilia reuellentia. Nam quum humores ad eam partem confluant, in qua dolor, vel calor excitatur, vel quæ vacuatur, aut in suo munere obeundo exercetur aut ad quam materia trahitur ex his, quæ ambiunt aer calidus, lotionesque calidæ, ex his verò quæ applicantur, ynctiones, emplastra, fomenta, linimenta, cataplasmata, calefaciendo, vacuandoque fluxionibus reuellendo medentur. Ex his autem quæ impulsu agunt, vulnerantia, contundentia, pungentia, oppositas partes illi, quæ afficitur, optimas reuulsiones faciunt,

Ioan. Argent. De Consultandi Rat.

H
ficut